



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta  
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ  
Theologiæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

6 Vtrum voluntas contra legem Dei, sequens rationem errantem, sit mala.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

qua ratione mali: puta, quia contrariatur diuino precepto, vel quia est scandalum, uel propter aliqd huiusmodi: & tunc ad talem speciem malitiae reducitur talis mala uoluntas.

ARTICVLVS VI.

*Vtrum uoluntas concordans rationi erranti sit bona.*

Sup. arti. 5. & 10. et ibi in dicitur.

**A**D SEXTVM sic proceditur. Videtur, quod uoluntas concordans rationi erranti sit bona. Sicut enim uoluntas discordans a ratione, tendit in id quod ratio iudicat malum, ita uoluntas concordans rationi, tendit in id quod ratio iudicat bonum: sed uoluntas discordans a ratione etiam errante est mala: ergo uoluntas concordans rationi etiam erranti, est bona.

**¶** 1. Præ. Voluntas concordans præcepto Dei, & legi æternæ, semper est bona: sed lex æterna, & præceptum Dei proponitur nobis per apprehensionem rationis etiam errantis: ergo uoluntas concordans etiam rationi erranti est bona.

**¶** 2. Præ. Voluntas discordans a rōne errante est mala. Si ergo uoluntas concordans rationi erranti sit et mala, uideatur quod omnis uoluntas habentis rationem errantē, sit mala: & sic talis homo erit perplexus, & ex necessitate peccabit, quod est inconueniens: ergo uoluntas concordans rationi erranti est bona.

**S**ED CONTRA. Voluntas occidentium Apostolos erat mala: sed tamen concordabat rationi erranti ipsorum, secundum illud Ioan. 16. Venit hora, ut omnis qui interficit uos, arbitretur obsequiū se præstare Deo: ergo uoluntas concordans rationi erranti potest esse mala.

**R**ESPON. Dicendū, quod sicut præmissa questio eadem est cum quaestione, qua queritur, Vtrū conscientia erronea liget: ita ista questio eadem est cū illa qua queritur, Vtrum conscientia erronea excuset. Hæc autem questio depēdet ab eo, quod supra de ignorantia dictum est. \* Dicitur enim supra, quod ignorantia quandoque causat inuoluntariū, quandoque autē non. Et quia bonum, & malum morale consistit in actu, inquantū est uoluntarius, ut ex præmissis patet, \* manifestum est, quod illa ignorantia, quæ causat inuoluntariū, tollit rōnem boni, & mali moralis, non autē illa quæ inuoluntarium non causat. Dicitur est etiam supra, \* quod ignorantia, quæ est aliquo modo uolita siue directe, siue indirecte, non causat inuoluntariū. Et dico ignorantia directe uoluntariam, in quā actus uoluntatis fertur: indirecte autem propter negligentiam, ex eo quod aliquis non uult illud scire, quod scire tenet, ut supra dictū est. \* Si igitur rō, uel conscientia erret errore uoluntario uel directe, uel propter negligentiam, quia est error circa id, quod quis scire tenetur, tūc talis error rōnis, uel conscientia: nō excusat, quin uoluntas concordans rōni, uel conscientia: sic erranti, sit mala. Si autem sit error, qui causat inuoluntariū, proueniens ex ignorantia alicuius error rōnis, uel conscientia: excusat, ut uoluntas concordans rationi erranti non sit mala: puta, si rō errans dicat, quod homo teneatur ad uxorem alterius accedere, uoluntas concordans huic rōni erranti est mala, eo quod error iste prouenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur. Si autem rō erret in hoc, quod credat aliquā mulierē submissam, esse suā uxore, & ea petente debitū, uelit cōcognoſcere, excusatur uoluntas eius, ut nō sit mala: quia error iste ex ignorantia circumstantia: prouenit, quæ excusat, & inuoluntarium causat.

**A**D PRIMVM ergo dicendū, quod sicut Dionys. dicit in 4. ca. de di. nomin. \* Bonum cauſatur ex integra causa, malū autē ex singularibus defectibus. Et ideo ad hoc quod dicatur malū id, in quod fertur uoluntas, sufficit, siue quod sicut suā naturā sit malū, siue quod apprehendatur ut malum: sed ad hoc quod sit bonū, requiritur quod utroque modo sit bonū.

par. 4. a. meo die ill. ius.

**A**D SECVNDVM dicendū, quod lex æterna errare nō potest: sed ratio humana potest errare: & ideo uoluntas concordans rationi humanæ non semper est recta, nec semper est concordans legi æternæ.

**A**D TERTIVM dicendū, quod sicut in syllogisticis uno inconuenienti dato, necesse est alia sequi: ita in moralibus, uno inconuenienti posito, ex necessitate alia sequitur: sicut supposito quod aliquis querat inanē gloriā, siue propter inanē gloriā faciat quod face re tenetur, siue dimittat, semper peccabit. Nec tamē est perplexus, quia potest intentionem malam dimittere: & similiter supposito errore rationis, uel conscientia: qui procedit ex ignorantia non excusante, necesse est, quod sequat malū in uoluntate. Nec tamen est homo perplexus: quia potest ab errore recedere, cum ignorantia sit uincibilis, & uoluntaria.

ARTICVLVS VII.

*Vtrum uoluntatis bonitas in his, quæ sunt ad finem, dependeat ex intentione finis.*

*Super Questionis decimononæ Articulum septimum.*

**C**irca titulū articuli septimi, aduerte, quod licet hæctenus de uoluntate, i. de actu interiori uoluntatis, in hac questione tractari sit: hoc arti. questio est de uoluntate, id est, de actu interiori uoluntatis, ut distinguitur contra intentionem. Ea autē necessitas questionis huius fuit, quia uoluntas ab intentione sæpe distingui solet, & plurimum intentionis iudicari in continua morum frequentia, uoluntatisque ex intentione accusari, uel excusari.

2. di. 38. ar. 4. ad 4. & ar. 5. cor. & di. 40. arti. 2. & in expo. II. Art. 2.

*Super*

**A**D SEPTIMVM sic proceditur. Videtur, quod bonitas uoluntatis non dependeat ex intentione finis. Dicitur enim supra, \* quod bonitas uoluntatis dependet ex solo obiecto: sed in his, quæ sunt ad finem, aliud est obiectum uoluntatis, & aliud finis intentus: ergo in talibus bonitas uoluntatis non dependet ab intentione finis.

**¶** 1. Præ. Velle seruare mandatū Dei, pertinet ad uoluntatem bonam: sed hoc potest referri ad malum finem, scilicet, ad finem inanis gloriæ, uel cupiditatis, dum aliquis uult obedire Deo propter temporalia consequenda: ergo bonitas uoluntatis non dependet ab intentione finis.

**¶** 2. Præ. Bonum, & malum sicut diuersificant uoluntatem, ita diuersificant finem: sed malitia uoluntatis non dependet a malitia finis intenti. Qui enim uult furari ut det eleemosynam, uoluntatem malā habet, licet intendat finem bonum: ergo etiam bonitas uoluntatis nō depēdet a bonitate finis intenti.

**S**ED CONTRA est, quod Aug. \* dicit 9. confessionū, quod intentio remuneratur a Deo: sed ex eo aliquid remuneratur a Deo, quia est bonum: ergo bonitas uoluntatis ex intentione finis dependet.

**R**ESPON. Dicendum, quod intentio dupliciter se potest habere ad uoluntatē, Vno modo ut præcedens: alio modo ut concomitans. Præcedit quidē casualiter intentio uoluntatē, quando aliquid uolumus propter intentionē alicuius finis: & tunc ordo ad finem, consideratur ut ratio quedam bonitatis ipsius uoliti, puta cum aliquis uult ieiunare propter Deū: habet enim ieiuniū rōnem boni ex hoc ipso, quod fit propter Deū. Vnde, cum bonitas uoluntatis depēdeat a bonitate uoliti, ut supra dictū est, \* necesse est

art. 1. & 2. est

q. 4. art. 8.

art. 2. huius quæst.

ca. 1. & 11. c. 9. articulum 2. q. 4. art. 3.

D. 3. 4.

\* q. 4. art. 3.

est quod dependat ex intentione finis. Consequitur autem intentio uoluntatem, quando accedit uoluntati praexistenti, puta, si aliquis uellet aliquid facere, & postea referat illud in Deum: & tunc prima uoluntatis bonitas non dependet ex intentione sequenti, nisi quatenus reiteratur actus uoluntatis cum sequenti intentione.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod quando intentio est causa uolendi, ordo ad finem accipitur ut quaedam ratio bonitatis in obiecto, ut dictum est.\*

AD SECUNDUM dicendum, quod uoluntas non potest dici bona, si sit intentio mala, causa uolendi: Qui enim uult dare elemosynam propter inanem gloriam consequendam, uult id, quod de se est bonum sub ratione mali: & ideo prout est uoluitum ab ipso, est malum, unde uoluntas eius est mala. Sed si intentio sit consequens, tunc uoluntas potuit esse bona: & per intentionem sequentem non deprauatur ille actus uoluntatis, qui praecessit, sed actus uoluntatis qui iteratur.

AD TERTIUM dicendum, quod, sicut iam dictum est, \* malum contingit ex singularibus defectibus, bonum autem ex tota, & integra causa. Unde siue uoluntas sit eius, quod est secundum se malum, & sub ratione boni, siue sit bona sub ratione mali, semper uoluntas erit mala: sed ad hoc quod sit uoluntas bona, requiritur quod sit boni sub ratione boni, id est, quod uelit bonum, & propter bonum.

¶ Super Questionis decimae articulum octauum.

ARTICULVS. VIII.

¶ Vtrum quantitas bonitatis, uel malitia in uoluntate, sequatur quantitatem boni, uel mali in intentione.

IN titulo articuli octauo, uoluntas sumitur ut in precedenti articulo.

¶ In corpore eiusdem articuli aduerte primo, quod auctor principalis determinat, quod quaesierit. Quae sunt enim de quantitate uoluntatis & intentionis: determinat autem de quantitate predictorum, & actus etiam exterioris: & hoc ad perfectionem doctrinae, & propter ideam rationis, quod ad hoc, in uoluntate, & actu exteriori sublati impedimur. Aduerte secundum, quod in littera distinguitur tam uoluntas, quam actus exterior, reisper se scilicet secundum se, & ut fiat sub intentione: & dicitur, quod nec quantitas ex obiecto, nec quantitas ex modo intentionis descendit necessario in actum uolitionis, aut actus exterioris secundum se, seu materialiter, id est, ut tendunt in sua obiecta propria: sed quantitas utraque, scilicet ex obiecto, & modo intentionis, redundat in utrumque actum, scilicet uoluntatis, &

ex intentione actus, quia intensius uult, uel agit quod est maius ex parte agentis. Si igitur loquamur de quantitate utriusque quantum ad obiectum, manifestum est, quod quantitas actus non sequitur quantitatem intentionis: quod quidem ex parte actus exterioris contingere potest dupliciter. Vno modo quia obiectum, quod ordinatur ad finem intentionum, non est proportionatum fini illi: sicut si quis daret decem libras, non posset consequi suam intentionem, si intenderet emere rem ualentem centum libras. Alio modo propter impedimenta, quae superuenire possunt circa exteriorem actum, quae non est in potestate nostra remouere: puta, aliquis intendit ire usque Romam, & occurrunt ei impedimenta, quod non potest hoc facere. Sed ex parte interioris actus uoluntatis non est nisi uno modo: quia interiores actus uoluntatis sunt in potestate nostra, non autem exteriores actus. Sed uoluntas potest uelle aliquid obiectum non proportionatum fini intento: & sic uoluntas, quae fertur in illud obiectum absolute consideratum, non est tantum bona quantum est intentio. Sed quia etiam ipsa intentio quodam modo pertinet ad actum uoluntatis, in quantum scilicet est ratio eius, propter hoc redundat quantitas bonae intentionis in uoluntatem, in quantum scilicet uoluntas uult aliquid bonum magnum ut finem: licet illud, per quod uult consequi tantum bonum, non sit dignum illo bono. Si uero consideretur quantitas intentionis, & actus secundum intentionem utriusque, sic intentio intentionis redundat in actum interioris, & exterioris uoluntatis, quia ipsa intentio quodammodo se habet formaliter ad utrumque, ut ex supra dictis patet: licet materialiter intentione recta existente intensius possit esse actus interior, uel exterior, non ita intensius, materialiter loquendo, puta, cum aliquis non ita intensius uult medicinam sumere, sicut uult sanitatem: tamen hoc ipsum, quod est intensius intendere sanitatem, redundat formaliter in hoc, quod est intensius uelle medicari. Sed tamen hoc est considerandum, quod intensio actus interioris, uel exterioris, potest referri ad intentionem ut obiectum, puta, cum aliquis intendit intensius uelle, uel aliquid intensius operari, & tamen non propter hoc intensius uult, uel operatur, quia quantitas

exterioris, ut fiat sub intentione, seu formaliter, id est, ut tendunt in finem, quem respicit intentio.

¶ In responsione ad tertium eiusdem articuli, dubium occurrit, quomodo verificetur, quod quantum mala est intentio, tantum mala est uoluntas, an scilicet verificetur de uoluntate materialiter, & secundum se: aut formaliter; & ut fiat sub intentione. Si secundum modo, nulla est differentia inter quantitatem bonitatis, & malitiae in hoc: quoniam, ut in corpore articuli patet, quantitas intentionis bonae redundat in uoluntatem, & actum formaliter. Si primo modo, sic enim uult falsum manifeste: quoniam neutra malitia necessario descendit ex intentione in uoluntatem materialiter.

¶ Ad hoc dicitur, quod ea, quae dicta sunt in corpore articuli, verificantur de quantitate bonitatis, & malitiae. Et de bonitate quidem in littera patet: de malitia autem eiusdem rationis probatur. Quod enim quantitas male intentionis ex obiecto non necessario descendat in uoluntatem secundum se, patet ex hoc, quod intendens aliquid magnum malum, potest uelle uti aliquo medio non sufficienter consono tanto malo: sicut si quis uellet emere episcopatum & offerret solas preces. Quod etiam quantitas male intentionis ex modo, non descendat in quantitatem actus secundum se, patet ex hoc, quod contingit intendere intendentem adulterium, minus libenter frangere murum, per quem ingreditur ad intenum habendum. Cum igitur non oporteat esse uerum, quod quantum mala est intentio, tantum mala sit uoluntas materialiter: relinquatur, ut verificetur hoc dictum de uoluntate formaliter, id est, ut fiat

In corp. art.

D. 22. 3. 1. 2. 3.

¶ 6. ad 1.

D. 296.

Supr. art. 7. ad 1. Et m. q. 2. art. 2. ad 3.

¶ 1. interli. ibid.

¶ art. p. p. ce.

In co

q. 114

In co

art. 7.

1. d. 4. Et v. 29. art.

q. 12. art. 1.